TENTAMEN MEDICUM

DE CHOLERA MORBO,

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-Parâ in auguſtiſſimo Ludovicæo Monſpelienſi, tueri conabitur, FRANCISCUS-ANTONIUS DELFAU, Tulellenſis, apud Lemovicenſes, nunc in partitione de *la Corrèze*, liberalium artium Magiſter, nec-non Medicinæ Alumnus, pro trimeſtri julii 1791.

Pro baccalaureatus gradu conſequendo.

CHOLERA morbus dicitur affectus qui conſiſtit in ſimultaneo aut alternanti vomitionum alvique dejectionum concurſu. In quo ventriculus & inteſtina vehementer torquentur & motibus inſolitis ſpaſmodicis convulſivis agitantur. Materies in hoc morbo ſupra infraque erumpens bilioſa præcipue, attamen pituitoſa, æruginoſa, nec-non ipſo cruore permixta aliquoties deprehenditur; quod præſertim probatur varietate coloris quem ſortitur, ſcilicet modo flavi, modo viridis, modo nigri, &c.

Diſtinctio choleræ à veteribus admiſſa fuit in ſiccam nempe & humidam (apud *Hippocratem*) in idiopathicam & ſymptomaticam, & exempla nonnulla harumce ſpecierum leguntur apud *Riverium*, *Sydenhamium*, *Frid. Hoffmam*, & alios. De prima ſpecie nobis nunc ſermo non erit; hanc circa tantum annotandum venit quod ſicca dicatur cholera, quando inteſtina & ventriculus adeo flatulentis vaporibus diſtenduntur ut inde orientur anxietates ſummæ, tormina ſæviſſima quæ vix etiam paccari poſſunt ipſiſmet flatibus copioſa quantitate ſupra infrave ſimul erumpentibus.

Acutiſſimè procedit hicce morbus cum uno quaſi impetu manifeſtetur ſæpiſſimeque prima aut ſecunda die terminetur & niſi raro ad quartam & ſeptimam uſque nunquam protrahatur, hinc recte *Aurelianus*, acutiſſimam dicit & celerrimam paſſionem quæ ferè nunquam in alterum tranſeat diem; vehementiſſimis ſtipata eſt doloribus cardialigicis & malo citiſſime ingraveſcente ſitis magna perſentitur, accedunt ſpaſmi, pavores, membrorum contractiones, virium debilitas, proſtratio, graves anim

defectiones, sæpius syncopticæ, horrendæ convulsiones, sudores gelidi, instantanea tandem mors nisi promptissimis indicatisque auxiliis succurratur æger.

Ex sectionibus anatomicis id notum est quod materies morbifica quæ gravissima hæc procreat symptomata intus etiam actionis propriæ profunda imprimet vestigia. Sic in cadaveribus hoc morbo defunctorum deprehenduntur ventriculus & intestina præsertim gracilia & speciatim magis duodenum maculis fuscis lividis conspurcata, gangræna rosionibus deturpata, &c. *Bartholinus*, *Riolanus.*

Incusanda venit ideo causa proxima actuosissimæ naturæ quod constanti fidelique observatione confirmatur. Bilis enim cujus secretio acuta fuit à quacumque causa peculiari & quæ copiose effunditur in canali alimentario, vitiatam præterea qualitatem retinens, causam hanc materialem constitituere demonstratur (*Cullen.*) Sic etiam tanquam causæ mediatæ habentur alimenta fermentescibilia, inæqualia contrariis, frontibus sibi occurrentia, nimirum « *lac*, *fungi*, *melones*, *mustum*, *ova piscium pinguiorum*, &c. » *Wedelius.* » Sic etiam purgantia & emetica acriora vel nimia quantitate assumpta, qualia sunt antimoniata asarina, helleborata, &c. Sic tandem venena corrosiva, caustica, potissimum arsenicum, mercurius sublimatus, *Forestus Salmuth*, nec-non gravia animi pathemata v. g. fortis iracundia, vel inter ipsum pastum, vel si quis ut aït *Hoffmam*, « quod pessimum » est statim post iram emeticum aut purgans aliquod sumpserit. »

Omni jure incusandæ quoque veniunt tanquam causæ saltem procatarticæ æstiva scilicet & fervedior existens tempestas, tali regnante constitutione, nimia subitaneaque corporis præsertim pedum refrigeratio, frequentes crapulæ tam vinosæ quam cerevisariæ, &c. *Sydenham* tandem cholera potissimum infestat juvenes quorum biliosa siccior & cholerica est constitutio frequentissimeque scorbuticos adoritur cacheticos & hypochondriacos.

Nunquam vel saltem per raro in sensu *Cullenii* pyrexia stipata procedit & quamvis irregulares, & velociores adsint pulsus, & respiratio. Hæc symptomata, *sicut aït expresse author ille clarissimus*, generatim removentur remediis quæ affectiones spasmodicas in hoc morbo peculiares destruunt, ita ut nulla superfit ratio ad suspiciendam pyrexiæ propriæ dictæ existentiam. Attamen choleræ speciem observavit *Morton* cujus paroxismi accessus sæpe tertianæ febris, raro quartanæ sæpius vero tritæopheæ insequuntur. Haud dubie in hoc casu cholera non tanquam morbus essentialis sed tanquam symptomaticus duntaxat existimanda venit. Cæterum nostrum

nunc non eſt lites componere circa veros limites qui choleram eſſentialem diſtingunt ab aliis morbis cum quibus complicari, à quibus etiam pendere poteſt. Vide *Sagar*, *Sauvages*, *Cullen* & alios noſologiſtas.


Eo gravior cholera morbus habenda eſt quo magis excrementa à ſtatu naturali recedentia, ut livida nigra aut loturæ carnis ſimilia excernuntur (*Quarin*) eo certius videtur periculum quo intenſiora ſymptomata gravia, nempe animi deliquia, virium proſtratio, ſingultus, convulſiones, extremorum frigus; « morbis quibuſlibet, aït *Hippocrates*, *aph.* 22, *lib.* 4, *ſi* » *bilis atra vel ſupra vel infra exierit lethale.* » Non minus periculoſior cholera, ſi vel juniores, vel ſeniores, vel jam morbo quolibet debilitatos infeſtet; ſi bilis cauſtica ſanguine atro permixta dejiciatur, tandem ſi compreſſis excretionibus reliqua perſiſtant ſymptomata *Sydenham*, *Hoffman*.

Ex ſupra dictis de ſignis & cauſis choleræ legitima patet ipſius curatio quam præterea confirmavit longa felixque experientia. Porro prima indicatio in eo verſatur ut morbifica materia corrigatur, attemperetur, ad exitum diſponatur; quod obtinetur aquoſis mucilaginoſis demulcentibus. Itaque ad hunc ſcopum egregiè adhibentur aqua pulli junioris copioſius hauſta; aqua ipſa temperatè frigida, vel etiam cui adjungitur ſuccus citri acidulus cum ſaccharo. Non minori cum ſucceſſu uſurpatur ipſum lactis ſerum cui merito tribuitur intenſem ſitim extinguendi optima facultas, ſolemni etiam efficacia emollientes clyſteres non parum laudantur.

Nec tamen diutius inſiſtendum in iſtis omnibus nam ſæpe ſæpius adeo vehementer premit motuum præternaturalium impetus ut citiſſimè in ſummum vitæ diſcrimen adducantur ægrotantes, ideoque periculum adſit in mora. Tunc è contra ſimul interponenda antiſpaſmodica anodyna quæ ad mitigandas ſpaſticas, convulſivaſque fibrarum nervoſarum conſtrictiones plurimum valent : inter illa palmam meretur opium & ejus præparationes, quarum doſes repetendæ pro neceſſitate : « ego centum & amplus ægros » cholera affectos tractavi in quibus vix elapſis aliquot ab acceſſu ægri- » tudinis horis, ſingultum, debilitatem ſummam, oculos caliginoſos, & » pulſum inveni vix ſub ſenſu cadentem; itaque mox ad opium confu- » giendum fuit......... nunquam me hujus methodi pœnituit. Etſi clar. *Joung* » aſſerit frequentius nocere opium niſi acre vomitu ante expulſum fit. » *Quarin.* » Tunc etiam & ad eundem finem celebrantur externa paregorica & anodyna v. g. cataplaſmata vel ſacculi herbis aromaticis (ubi debilitas urget cum vomitu) rore marino, ſalvia, mentha, &c. &c. repleti, nec-non linimenta aut applicationes aliæ quæ cuncta ab authori-

bus sparsim commendantur. Apponi possunt & etiam semi vesicantia, tandem motibus spasticis ventriculi & intestinorum consopitis, nec-non doloribus mitigatis. Tertia & ultima adimplenda venit indicatio cui satisfaciunt roborantia tonica & facilis victus; nam præcipuus hujusce morbi effectus est destructio aut saltem gravis imminutio virium tonicarum in toto corpore, sed peculiariter in partibus affectis. Itaque ad vires erigendas corroborandas indicantur, & maxime prosunt cortex peruvianus, rhabarbarum, vinum, &c. extractum corticis peruviani seligendum putat *Quarin*, sed facile videre est quod medicus dirigi debeat tam in selectu horumce medicamentorum quam in duratione illorum usus cicumstantiis peculiaribus quæ diversæ apud diversos ægros oriuntur. Jam penitus superato morbo facili utendum victu, animi pathemata vitanda, corpus jucundè exercitandum ut sæpius frequentes præcaveantur recidivæ.

F I N I S.



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Universitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.